

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Matthias Stein

**Programma Paschale, Qvo Rector Academiæ Varniacæ Matthias Stein/ J. U. D. & Cod. P.P. ... Jesum Resurgentem Resurrectione Sua Admirabilem sacris Civium Academicorum Meditationibus sistit**

Rostochii: Typis Joh. Wepplingi[i], M.DCC.XVII.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003986900>

Druck    Freier  Zugang





T. 512.

1717. Ostern.

~~A-1256.~~ <sup>150</sup>

Ofl. 1717

PROGRAMMA PASCHALE;

*Qvo*

RECTOR Academiæ Varniacæ,

MATTHIAS **SEEGRI**

J. U. D. & Cod. P.P.

FCtis Jurid. ut & Colleg. Profess. Senator. Senior,

JESUM RESURGENTEM

RESURRECTIONE SUA

ADMIRABILEM

sacris

CIVIUM ACADEMICORUM

*Meditationibus*

fistit,



ROSTOCHII,

TYPIS JOH. WEPPLINGI, SERENISS. PRINC.  
& ACAD. TYPogr. AN. M. DCC. XVII.

150

**J**esum , dulcissimum Salvatorem nostrum, na-  
scientem nativitate, ac morientem morte suâ Admirabilem  
hactenus qvidem Vobis, CIVES ACADEMICI O.O. HO-  
NORATISSIMI! descripsi, & Festo ejus natalitio partim,  
partim initio temporis acerbissimæ ipsius passionis ac mortis  
recolenda ab Ecclesiâ destinati , sacris piisque vestris meditationibus  
commendavi. Nunc igitur, quando solenni hoc Paschatos Festo,  
quo iterum Scripto quopiam alloquendi mihi estis , resurrectionis  
ejus memoriam lætabunda celebrat Ecclesia , haud magis convenien-  
tem commentandi materiam mihi suppeditari ratus sum , quam si eun-  
dem Jesum nostrum à morte resurgentem resurrectione suâ Admirabi-  
lem sacris piisque sisterem meditationibus vestris. Est namque & re-  
surrectio Salvatoris admirandorum plenissima , quæ piam Christiano-  
rum considerationem desiderant pariter atque merentur. Et ipsa qui-  
dem resurrectio à morte talis est , quam ratio suo lumine non assequi-  
tur , sed sua cognitionis sphæram superantem admiratione potius di-  
gnam judicat atq; habet. Haud equidem ignotum nobis est, jamdudum  
eruditos inter disputatum fuisse problema : Num resurrectio mortuorum  
ex solo Naturæ Lumine, præcisâ omni revelatione divinâ , firmiter de-  
monstrari queat , vel non ? Et quamvis ex divinarum literarum Codice  
futuram mortuorum resurrectionem edocetus homo variis eandem phy-  
siciis à rebus desumptis similitudinibus quodammodo illustrare possit;  
quamvis & ipsum Lumen Naturæ nonnulla pro adstruendâ cā suppeditat  
argumenta haud improbabilia ; non tamen , queis eam ut certò in-  
dubitatoque futuram demonstret , apodicticas proferre rationes vale-  
bit. Evidem de potentia Dei resuscitandi mortuos cur dubitet, non  
habet. Agnoscit quippe infinitam omnipotentiam Dei. Novit, Na-  
turam , quia nihil in infinitum nihil est, non posse corpora defuncto-  
rum ita resolvere, ut in nihilum penitus redigantur. Ut enim ipsa  
finita est; ita in infinitum operari haud valet, dum potentia suum non  
excedit objectum. Hinc igitur, quæ sana est, ratio concludit, qui po-  
tuit quidquam ex nihilo producere, eum & corpora in sua principia  
resoluta rursus colligere ac reproducere posse , quippe quod nec in se  
contradictorium est, nec ullam ex parte agentis imperfectionem im-  
portat. At verò , num Deus , ceu potest, etiam velit defunctos revo-  
care? incertum semper sibi relicta rationi manet. Quæcumque enī  
adhuc futura sunt, ac ita quidem, ut à liberâ Dei dependeant voluntate,  
undenam quæso , præterquam ex divinâ revelatione , cognosci ali-  
ter queant ? Abscondita igitur rationi mortuorum resurrectio est , ut  
vix de cā cogitationem suscipiat, aut si forte suscepit, dum nullum ejus  
invenit

invenit exemplum , nūq̄vām futurām judicatura sit . Unde & Philo-  
phi reperiuntur cō usq̄e progressi , ut impossibilē eam statuerint , propter-  
eaque in dubium vocant ipsam omnipotentiam D̄x . Sic namque Plinius  
*Lib. II. Hist. Nat. Cap. 7.* Præcipuum imperfecte in homine naturæ  
solatium judicavit , DEum ne quidem posse omnia , cum nec mortales æter-  
nitate donare queat , nec revocare defunctos . Qvæ qvidem justo liberius  
pronunciata sunt atq̄e Philosopho vix digna ; interim , qvid de mortuorum  
resurrectione homo sibi suoq̄e naturali lumini soli relictus sentiat ,  
exinde intelligi potest , etiamsi Franc : Georg : Venetus de *Harmonia  
Mundi Canz. III. Ton. VII. Cap. 4.* & Joh. Bapt. Aurelius de Monte-  
alto *Disput: Philosoph: atq̄e Theolog. Lib. I. Cap. 7.* eandem ex lumine  
naturæ sat firmiter demonstrabilem arbitrati fuerint , qvod idem etiam  
ante quatuor , ni fallor , lustra , collectis , qvæ demonstrandi habere vim  
ipſi videbantur , argumentis nonnullis , in controversia cum D. Jo Frid.  
Majero , propugnare satagebat M. Vackius , Archi-Diaconus Ecclesie  
apud Hamburgenles Petrinæ . Verū enim verò , si adductum Plinii ex-  
emplum forte non satis evidenter ostendit , qvid de defunctorum resurrec-  
tione solum naturale intellectus sui lumen sequutus homo judicet , ecce ! ali-  
ud in promptu est , qvod ipse communicat sacrarum dñinā ab inspirati-  
one profectarum Scripturarū Codex . Cum videlicet Gentium Apostolus , Paulus ,  
Atheniensibus poenitentiam prædicabat , hoc inter alia usus arguento , qvod  
diem statuerit DEUS , quo judicatus sit orbem terrarum cum justitia ,  
per eum Virum , per qvem decreverat , i. e. Christum , qvem excitaverat  
ex mortuis ; illi , resurrectionem mortuorum audientes , alii qvidem irri-  
debat , alii verò , non tam , ut videtur , sancto discendi desiderio ducti ,  
qvam rei hactenus inaudita novitate permoti , se eum iterum audituros esse ,  
dicebant , *Act. XVII. 32.* Tale igitur de resurrectione mortuorum rationis  
judicium cum sit , quidni Jesum resurgentem resurrectione suā admirabilem  
diceremus ? Qvod si tamen forte cuipiam hæc Christi resurrectio in se  
ipsa non adeò admirabilis videtur , certè non desunt alia ipsi miranda ,  
qvæ admirabilem eam reddere possunt . Qvæ inter primum meritò locum  
habet , qvod Christus resurgens ipse suæ resurrectionis sibi extitit causa . Mor-  
tuum hominem cum dicimus , corpus indicamus sine anima , vitâ omni desti-  
tutum , omni agendi virtute carens , nec aliud qvildquam , nec seipsum mo-  
vere valens . Resurgentem autem , mortuus qvamvis fuerit , vivere rursus ,  
animam redunitam habere , è sepulchro prodire feseque movere , oportet .  
Anne autem vitâ destitutum sibi ipsi restituere vitam unq̄vam Natura vidi ?  
Num , qvod vi agendi caret , seipsum movere potest ? Et mortuus qui est ,  
num à morte semet resuscitare valet ? Impossibilia hæc Naturæ judicantur  
atq̄e contradictoria . Et sanè , naturaliter tale qvid fieri , quis , qvælo ,

non impossibile fatebitur? Attamen Christum verè mortuum è morte se-  
resuleitasse, vitâ privatum sibi restituisse vitam, divinâ credimus fide, quicq;  
quid heic ratio ogganniat, quicquid contra clamitent Sociniani, aut dubi  
moveant Calvinio-Reformati. Et non de divinâ solum naturâ certum no-  
bis est, eam humanæ resurrectionis causam exstitisse, quin de humanâ quo-  
que id ipsum affirmemus. Neutiq; tamen diffitemur, solam virtutem  
divinam vivificationem hanc operatam fuisse, ut fallò prorsus nobis im-  
putetur, ac si, naturam humanam sùa propriâ virtute se ipsam reluisceatasse,  
statueremus. Novimus, humanam naturam in hypostasi Filii DEI assum-  
tam esse, & vi personalis hujus unionis totam plenitudinem DEItatis, ad  
qvam & virtutem vivificandi pertinere nulli dubitamus, in ipso corporaliter  
habitare, Col. II. 9. Qvandoq; videm verò hypostatica illa duarum in Christo  
naturarum unio per mortem sublata non est, qvin Filius DEI vel mediâ in  
morte cum corpore pariter atq; animâ Christi unitus manserit, oportet, com-  
municatam qvoq; humanæ naturæ virtutem vivificandi divinam ab eâ sub-  
latam non fuisse. Hac igitur divinâ virtute vere realiterq; ipsi competente  
Christus mortuus ipse suæ resurrectionis sibi exstítit causa. Et hoc indicat  
ipse, Job. X. 18. se potestatem, ut ponendi vitam suam, sic eam rursus su-  
mendi habere, dicens. Ubi qvidem Grotio, hac etiam in parte Socinizanti,  
ad stipulari nequivimus, qvando, Christum hoc dicto indicate voluisse, se  
vitam praesenti jam periculo eripere posse, statuit, quale quid Sociniani  
etiam admitterent, DEItatem licet Christo in universum denegantes. Nam,  
uti de morte pro reparandâ generis humani salute ac vita ultro sponteq; sub-  
cundâ loquitur, dicens, habere se potestatem ponendi vitam: Ita & è  
contrario, cum dicit, se potestatem rursus sumendi eam habere, de vivifica-  
tione ac gloriâ è morte resurrectione loqui intelligendus est. Nec audi-  
endus hic est Coccejus, Christum verbis istis potentiam seu vires sumendi  
rursus vitam respicere, negans, de jure solum ac privilegio ea interpre-  
tatus, scribendo: Christus hic dicit, 1. dignitatem se habere illâ, ut,  
nullo impediente iure, nulla justitia ac veritate DEI obstante, possit animam  
pro Ecclesia (& cur non pro universo mundo?) ponere & postquam  
possiisset, eam recipere. Id convenire cum jure DEI & lege ipsius,  
nominatim illâ, sub qvâ est homo: Qui fecerit ea, vivet in eis. Non posse per  
illud jus & illam legem ullam creaturam pro quoq; animam ponere & eam  
recipere. 2. Patrem velle hanc gloriam suam & dignitatem manifestari: ideoq;  
se id facturum utrumq; ex consilio Patris. Nihil itaq; aliud relinqvit, qvam,  
qvod Christus non egerit iniuste, qvando vitam pro nobis suam & posuit, &  
iterum sumxit. Verum enim vero, quantum hoc abs nemine in dubium vo-  
cari queat; haud tamen solum illud dicitur, sed longe majus quid significa-  
tur... Respicit namque dulcissimus Salvator ipsam virtutem atque potentil-

am

am divinam , quam ut Filius Dei sibi essentialem , ut homo per ac propter unionem personalem sibi communicatam habet , quā vitam , quam positurus erat rursus sibi sumere posset . Ecquid enim jus sine viribus valet ? Quid prodest potestas potentia destituta ? Dum ergo jus ac potestatem vitam rursus sumendū Christus habuit , habuerit etiam virtutem atque potentiam resuscitandi se , necesse est . Et quidni habuisset ? Num alios à morte virtute divinā resuscitavit , se autem ipsum resuscitare non potuisset ? Admirabilis igitur resurrectione suā nobis est Iesus noster resurgens , qui , quod nullus unquam mortaliū expectare à se ipso potest , resurrectionis sua ipsius exstitit causa . Cui non obstat , quod S. Literat. sapienter dicunt Deum resuscitasse Iesum , ut Act. II. 24 . X. 40 . Eph. I. 20 . Obtinet enim & heic regula : unius positio non est alterius exclusio . Satis bene hoc dubium expedivit Thomas Aquinas Part. III . Sum. Theol. Quaest. LIII . Art. 4 . cuius quidem integra legenda dabitur verba . Dicendum , scribit , quod per mortem non fuit separata divinitas , nec ab anima Christi , nec ab ejus carne : Potest igitur tam anima Christi mortua quam ejus caro considerari dupliciter , uno modo ratione divinitatis , alio modo ratione ipsius naturae creata . Secundum igitur unita divinitatis virtutem & corpus recomposuit animam , quam depoluerat , & anima corpus recomposuit , quod dimiserat , & sic Christus propriā virtute resurrexit . Et hoc est , quod de Christo dicitur 1. Cor. ult. : quod , et si crucifixus est ex infirmitate nostrā , sed vivit ex virtute DEI . Si autem consideremus corpus & animam Christi mortini secundum virtutem naturae creata , sic non potuerunt sibi invicem reuniri , sed operuit Christum resuscitari à DEO . Sufficienter hæc rem explicant , ac omnem , quæ subesse videbatur , contradictionem tollunt : Unde in iis acquiecamus , ad aliud admirabilem reddens resurrectionē Iesu nostri nos conversuri . Nimirum , admiratione dignum est , Christum clauso adhuc resurrexisse sepulchro , nondum devoluto lapide sepulchrali . Evidem fatemur , disertis id in scriptura verbis nullibi affirmari ; veuntamen historiam resurrectionis Christi , præterim à Matth. XXIX . 1. 2. cum specialioribus circumstantiis de scriptam consulenti & accuratius attendenti sine multa difficultate , per consequentiam legitimam , palam fieri potest . Etenim , in magno illo , qui contingit , terræ motu , Christum resurrexisse , qui in dubium vocet , haud dubie nemo erit . Resurrexit itaque jam ante , quam Angelus ille , amovens à sepulchro lapidem , descendebat : ideoque sepulchro nondum aperto resurrexit . Non enim revolvit Angelus lapidem ab ostio monumenti in gratiam Domini , ut illo resurgere posset ; sed ut foeminae discipulique viderent , eum egressum inde esse , viventemque non esse inter mortuos querendum . Quo de pluribus videri poterit Gerhardus Harmon. Evangel. Cap. 207. integrum idem nobiscum sententiarum Patrum catalogum texens . Qvod si & ab Adversariis prolatum afferre testimonium licet , audiamus August. Marloratum sic commentantem : Non

Christi causâ venit Angelus : tanquam sine ejus operâ non posse exire sepulchrum, sed ut fides fiat mulieribus & Apostolis, Christum resurrexisse, apertum est sepulchrum, ut posset ostendi vacuum, non autem, ut devoluto saxo per Christi resurrectionem vacuaretur, cum jam antea vacuatum fuisset illo resuscitato, non amoto lapide ab ostio monumenti. Tametsi non desint, qui dicant, devoluto lapide, operâ Angelii, ab ostio, Christum surrexisse sine ullo miraculo. Verum, qui suâ virtute corpus excitare potuit in sepulchro, eâdem virtute potuit sepulchrum egredi, occluso ostio grandi illo saxe, ut miraculo sit excitatus & miraculo egressus, nullâ operâ Angelii. Qvod si queratur : quâ ratione fieri potuerit, ut Christi corpus sepulchro clauso exiret? cogitandum est, substituisse illud in infinitâ subsistentia Filii DEI, & præterea glorificatum jamjam fuisse, i. e. spiritualibus vestitum qualitatibus. Cum igitur humana natura eandem cum Filio DEI subsistentiam habet, & per eandem omnipotentia DEI ipsi communicata est, per quam omnia potest, quæcunque contradictionem non involvunt : qui non è sepulchro non aperto egredi potuisset? quemadmodum DEO nullus locus est clausus. Et quamvis naturale corpus alia penetrare corpora non queat; glorificato tamen corpori talis deneganda virtus non est. Idque Christus suo postquam resurrexerat, demonstravit exemplo, quando conciliebat, quo in congregati Discipuli ejus considerabant, foribus manentibus clausis, ingressus fuit, ceu omnes, quæ concurrunt, circumstantiae cloquuntur, Job. XX, 19, et cetera. Hoc igitur factum cum sit, ipsa etiam resurrectio nobis admirabilis est inde, qvod Christus clauso resurrexit sepulchro. Hæc enim duo recte Gregorius Nyssenus de Resurrect. Dom. Orat. 2. inter se confert, scribens: *Hunc (lapidem scilicet sepulchralem) cum Angelus revolvisset, reperit resurrexisse Dominum, sepulchro, quod sigillis munatum fuerat, ac praesidio militum custodiebatur, sicut DEum decebat, clauso relicto, quemadmodum clausis quoq; januis penetrans in domicilium, ad Discipulos accessit. Ut adeo ne quidem in hoc Grotio assentiamus, cum arbitratus est, Angelum devoluisse lapidem à sepulchro, ut Janitoris officio, non necessario quidem, sed honorifico fugeretur.* Ubi fortassis penè ridiculum, vel saltem tanti Viri judicio indignum non injuria quispam judicabit, qvod sibi persuasum habuit, hanc expeditam ab Angelo lapidis à sepulchro remotionem facto jacobi Gen. XXIX, 10. præfiguratam videri posse. Ab hoc autem ad istam uti nullam, quæ typi rationem inferat, consequentiam aut connexionem videmus; ita certum nobis manet, Christum resurgentem, antequam lapis amoveretur, corpore glorificato è clauso sepulchro resurrexisse. Quis vero, exinde resurrectionem resurgentis Christi admirabilem esse, negare ausit? Quid tantò magis mirandum hoc sit, qvod nulla unquam alia mortuorum resurrectio tali modo sive contigerit, sive contingat. Nam, licet ipsi futuram nostrorum quoq; corporum resurrectionem speremus & expectemus; hauc tamen talem fore novimus, ut aperienda ante sint nostra sepulchra, qvo

quo prodire ex illis corpora per anima redunctionem vivificata queant. Quemadmodum etiam Sanctorum cum Christo resurgente resurgentium monumenta aperta prius fuerunt, quam ex illis egredierentur, prout legimus Matth. XXVII. 52. 53. Sed horum quando mentionem facio, iterum iterumque aliud succurrat in Christi resurrectione admirandum. Admirabilis nimirum est Jesus noster resurgens, quia causa est nostrae resurrectionis, & primus omnium ad vitam gloriam aeternam resurrexit. Leguntur quidem, qui ante eum, posteaquam mortui fuerant, vel a Prophetis in Veteri Testamento, vel ab ipso met Christo resuscitati, resurrexerunt. Ast hoc non defogat prerogativa Christi, nec negat, cum esse ex mortuis resurgentium primum. Ipsi quippe ad vitam duntaxat hanc naturalem atque mortalem resuscitati fuerunt, deinceps cursus mortui. Heic autem de iis loquimur, qui surrexere ad vitam gloriam immortalem. Plus forte dubii faciliere videntur, de quibus Matth. XXVII. 52. 53. agitur, ut pote quos ante Salvatorem resurrexisse, videri poterat. De iis namque diversae offenduntur Interpretum sententiae. Sunt, qui dicant, receperisse eos vitam quidem moriente Iesu, ast triduo in sepulchris suis remansisse, donec tandem resurgerent, postquam jam resurrexerat Christus. Ast cur non potius crederemus, cum reviviscentia statim & resurrectionem illorum conjunctam fuisse? Heinrich Exercit. Sacr. ad Nov. Test. b. l. distinctionem verborum Textus, quae in omnibus tamquam, quod sciam, Codicibus eadem habetur, non veram & legitimam esse suspicatur, & hunc eorum esse sensum autumat: *Et qui suscitati erant, atque in monumentis, mortis ejus (Christi) vi, tum egressi sunt, post resurrectionem ejus etiam in sanctam venerunt urbem, multisque apparuerunt ibi*; ut non egressio ipsorum est monumentis, sed apparitio tantum in sancta urbe resurrectionem Christi sequuta sit: At vero, numne sic Textui vis quae piam inferatur? judicatu difficile non erit. Potius cum Dorschaeo nostre dicendum putamus, quae v. 52. leguntur, non omnia tota contigisse ante resurrectionem Christi; sed ex petrarum ruptura natam esse sepulchorum rupturam, ac ruptis sepulchris, cum Christus resurrexisset, resurrexisse etiam illos Sanctos. Ad stipulatum habemus Maldonatum, (nisi, quod, nec monumenta ante resurrectionem Christi aperta fuissent, affirmat,) Matthaeum, dicentem, dum coepisset ea miracula, quae moriente Christo contigerant, commemorare, hoc etiam cum ceteris copulasse, cuius causa, sicut & ceterorum, mors Christi fuerat. Sic igitur haec prerogativa Christum manet, quod primus omnium resurrexit, resurrectionis omnium resurgentium causa. Ideoque & primogenitus ex mortuis dicitur, Col. 1. 18. Apoc. 1. 5. ac Paulus de eo scribit: *Christus resurrexit ex mortuis, primitia eorum, qui dormierant, factus*, 1 Cor. XV. 20. Habemus proinde, quae admiremur in resurrectione Salvatoris nostri Christi. Agnoscamus JESUM resurgentem resurrectione sua admirabilem. Et haec sunt, quae hac vice pliis sacrisque meditationibus vestris, CIVES ACA.

**ACADEMICI O. O. HONORATISSIMI!** substernenda duximus. Sunt hæc  
vobis ita nunc meditanda, ut in usum vestrum, ædificationem atque salutem  
convertatis. Id vero fiet, si admirabilis hujus resurrectionis finalem causam ae-  
curatiū meditabimini. Haud namq; sibi quid acquisivit resurrectione suâ Christi,  
sed nobis. Ut enim traditus fuit propter peccata nostra; sic excitatus est pro-  
pter justificationem nostrā, docente Apostolo, Rom. V, 24. Tribuitur justifica-  
tio nostri resurrectioni Christi, non exclusivè, quasi ad eam solam pertine-  
ret; sed inclusivè atq; complexè, prout est summa yelut Evangelii, qvâ no-  
minata, cetera quoq; omnia subintelliguntur. Nam resurrectio & passionem  
& mortem & qvacunq; reliqua ad satisfactionem D. O pro peccatis nostris à  
Redemptore præstitam pertinent, præsupponit atq; complectitur. Est nam-  
que resurreccio publicum testimonium hostium devictorum, expiatorum pes-  
catorum, salutis justitiæq; restauratæ. Et necessaria erat resurreccio Christi,  
tam ad justificationis nostræ declarationem, quam ad ejusdem applicatio-  
nem. Etenim, si non resurrexisset Jesus, non potuisset opus redēctionis per-  
egisse dici. Tantum enim abest, ut sic mortis exstīsset vīctor, ut potius de-  
victus à morte dicendus fuisset ipse. Sic autem nobis non potuisset prome-  
teri justificationem & vitam. Aut, etiam si promeruerisset, non tamen con-  
ferre eandem ac applicare nobis posset, si in morte mansisset. Contrà, cum  
ipse resurrexit, acquisivit nobis quoq; , ut ne corpora nostra perpetuo in se-  
pulchris suis mansura sint, sed ex illis ad vitam, qvæ sine morte est, olim prodix-  
ra. Egregiè de eo disserit Paulus 2. Cor. XV, 12. squ. Hæc spes Christianorum  
est, animum contra qvacvis hujus mundi mala obfirmans. Attamen, ne bene-  
ficiis per resurrectionem Jesu nobis partis indignos nosmet reddamus, etiam  
nostrorum observantes officiorum simus, oportet. De qvibus multa fari cum  
chartæ spatium non permittit, audiēmus de ipsis Apostolorum Paulum Rom. VI,  
3-14 ex professo, qvod ajunt, nos informantem atq; monentem. An ignorati  
sit, qvod quicunq; baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ejus baptizati su-  
mus? Sepulti igitur sumus una cum illo per Baptismum in mortem, ut quemadmodum  
excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vita ambu-  
lēmus. Nam instituti facti sumus illi per similitudinem mortis ejus, etiam resurrectionis  
participes erimus. Hoc scientes, qvod vetus ille noster homo cum illo crucifixus est, ut  
aboleretur corpus peccati, ut posthac non serviamus peccato. Etenim qui mortuus est,  
justificatus est a peccato. Qvod si mortui sumus cum Christo, credimus, qvod & vi-  
vemus cum illo. Scientes, qvod Christus excitatus a mortuis non amplius moriū,  
mors illi non amplius dominatur. Nam qvod mortuus fuit, peccato mortuus fuit semel  
qvod autem vivit, vivit DEO. Ita & vos reputate vos ipsos mortuos quidem esse peccato,  
viventes autem DEO per Christum Jesum Dominum nostrum. Ne regnat igitur pec-  
catum in mortali vestro corpore, ut obediatis illi per cupiditates ejus. Neq; accommo-  
ditis membra vestra arma iustitiae peccato, sed accommodatis vosmet ipsis DEO, vet-  
us ex mortuis viventes, & membra vestra arma iustitie DEO. Hæc itaq; sedulò me-  
ditemini, CIVES! huic obtemperetis divino monito, eritque resurreccio Christi  
Vobis & in hac vitâ, & post hanc vitam semper admirabilis.

P. P. sub Sigillo Rectorali, ipso Paschalatos Feste d. 28. Mart. Anno MDCCXVII.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1003986900/phys\\_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003986900/phys_0012)

DFG

quo prodire ex illis corpora per animæ redunctionem vivificata  
 admodum etiam Sanctorum cum Christo resurgente resurgentia  
 ta aperta prius fuerunt, quam ex illis egredierentur, prout in  
 XXVII. 52. 53. Sed horum quando mentionem facio, iterum  
 aliud succurrat in Christi resurrectione admirandum. Admirabilis  
 Jesus noster resurgens, quia causa est nostræ resurrectionis, &  
 num ad vitam gloriae æternam resurrexit. Leguntur quidem,  
 posteaquam mortui fuerant, vel à Prophetis in Veteri Testamento  
 met Christo resuscitati, resurrexerunt. Ast hoc non derogat præ  
 sti, nec negat, cum esse ex mortuis resurgentium primum. Ins  
 tam duntaxat hanc naturalem atque mortalem resuscitati fuerunt  
 sus mortui. Heic autem de iis loquimur, qui surrexere ad vitam  
 mortalem. Plus fortè dubii facebantur, de quibus Mathe  
 53. agitur, ut pote quos ante Salvatorem resurrexisse, videri posse  
 namque diversæ offenduntur Interpretum sententiaz. Sunt, qui dic  
 eos vitam quidem moriente Jesu, ast triduo in sepulchris suis rem  
 tandem resurerent, postquam jam resurrexerat Christus. Ast  
 crederemus, cum reviviscientia statim & resurrectionem illosum con  
 cile? Heinrich Exercit. Sacr. ad Nov. Test. b. l. distinctionem verbi  
 quæ in omnibus tamen, quod sciám, Codicibus eadem habetur, legiti  
 miam esse suspicatur, & hunc eorum esse sensum autumat: E  
 erant, atque è monumentis, mortis ejus (Christi) vi, tum egris  
 resurrectionem ejus etiam in sanctam venerunt urbem, multisque  
 ibi; ut non egressio ipsorum è monumentis, sed apparitione tantum  
 be resurrectionem Christi sequuta sit: At vero, numne sic Temp  
 piam inferatur? judicatu difficile non erit. Potius cum Dorcas  
 dicendum putamus, quæ v. 52. leguntur, non omnia tota contineant  
 resurrectionem Christi; sed ex petrarum ruptura natam esse sepul  
 pturam, ac ruptis sepulchris, cum Christus resurrexisset, resurre  
 los Sanctos. Ad stipulatum habemus Maldonatum, (nisi, quod  
 menta ante resurrectionem Christi aperta fuisse, affirmat,) M  
 centem, dum coepisset ea miracula, quæ moriente Christo contiguer  
 memorare, hoc etiam cum ceteris copulasse, cuius causa, sicut &  
 mors Christi fuerat. Sic igitur haec prærogativa Christum manet, quæ  
 munium resurrexit, resurrectionis omnium resurgentium causa. I  
 mogenitus ex mortuis dicitur, Col. I. 18. Apoc 1.5. ac Paulus de eo  
 fuisse resurrexit ex mortuis, primitia eorum, qui dormierant, factus  
 20. Habemus proinde, quæ admiremur in resurrectione Salvatoris  
 Christi. Agnoscimus JESUM resurgentem resurrectione suam. Et haec sunt, quæ hac vice piis sacrisque meditationibus vel



Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 0313

the scale towards document